

P. TERENTI AFRI

- magistratu' quom̄ ibi adesset oceptast agi.  
exclamat furem, non poetam fabulam  
dedisse et nil dedisse verborum tamen :
- 25 Colacem esse Naevi, et Plauti veterem fabulam ; 25  
parasiti personam inde ablatam et militis.  
si id est peccatum, peccatum imprudentiast  
poetae, non quo furtum facere studuerit.  
id ita esse vos iam iudicare poteritis.
- 30 Colax Menandrist : in east parasitus Colax 30  
et miles gloriosus : eas se non negat  
personas transtulisse in Eunuchum suam  
ex Graeca ; sed eas fabulas factas prius  
Latinas scisse sese id vero pernegat.
- 35 quod si personis isdem huic uti non licet : 35  
qui mage licet currentem servom scribere,  
bonas matronas facere, meretrices malas,  
parasitum edacem, gloriosum militem,  
puerum supponi, falli per servom senem,
- 40 amare odisse suspicari ? denique 40  
nullumst iam dictum quod non dictum sit prius.  
qua re aequom est vos cognoscere atque ignoscere  
quae veteres factitarunt si faciunt novi.  
date operam, cum silentio animum attendite,
- 45 ut pernoscati' quid sibi Eunuchus velit. 45